

candidum, porrum, rutam & viticam. In hæ-
morrhoi verò morfu, tum eadem hæc, tum
insuper vitis folia cocta, cum melle trita.
Ipsius quoque hæmorrhoi crematum caput
potui datur, aut allium cum vino. Estiantur
& vna passæ.

De morfu Natricis. CAP. XXXI.

MORSIS à Natrice confert origanum
tritum aqua subactum, itémque cinis è
quercu oleo exceptus, aut aristolochiæ cor-
tex radixve minutim contrita, & hordeacea
farina cum aqua & melle coacta & quasi
colliquefacta. Bibitur & aristolochiæ drach-
mæ binæ in dilutæ potionis aut poscæ cya-
this binis: aut marrubij succus, aut alteru-
rius decoctum cum vino. Fauus item recens
cum aceto exhibetur.

De Cenchridij morfu. CAP. XXXII.

MORSIS à Cēchridio auxiliatur lactu-
cæ semen cum lini semine cataplasma-
tis in modum applicitum, itémque thymbra,
syluestris ruta, & serpyllū cum asphodelo tri-
tum. Dantur verò protinūs in potu centaurij
radicis drachmæ binæ cum ternis vini cya-
this, aut aristolochiæ radix eodem modo.
Similiter & nasturtium ac gentiana.

De morfu Cerastæ. CAP. XXXIII.

ACERASTE & aspide ictis cita suc-
currit extremæ partis amputatio. Quare
sine

sine mora totam partem istam resecare oportet, aut certè tū partes affectas, tum & iis vicinas scalpello confestim circuncidere. Tandem verò reliquæ cauteriis exiccandæ: siquidem horum animalium virus basilisci veneno simile est.

De morfu Aspidis.

CAP. XXXIII.

IC T I S ab Aspide eadem quæ aduersum Icerastæ morfus (vti modò scriptum est) accommodanda remedia. Horum enim, vti & basilisci, virus, haud secus atq; taurinus sanguis, spiritum sanguinè que arteriis contentum celerrimè cogit atque coagulat.

De Basilisci morfu. CAP. XXXV.

MO R S I S à Basilisco Erasistratus auxiliari asserit castorij drachmam vnam in vino potam, itidèmq; papaueris succum. Et ictuum quidem morfuūque venenatorum remedia ita se habent.

F I N I S.